

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0036

0034

0040

0030

0045

0025

0085

0135

0535

1035

Ende

Anfang

25

Lucae 1. Cum illo ergo cantu ad superiora venimus, ubi erat habitaculum, in quo mutus Zacharias sedit, ibique postulatopugillari scripsit: Johannes est nomen ejus. Ibi etiam apertum est illico os ejus, et prophetavit dicens et cantans: Benedictus Dominus etc. Ibi ergo in oratione nos prostravimus et indulgentias recepimus (†). Demum, cum surrexissemus ab oratione, convertimus nos ad loci considerationem, et in sinistro pariete vidimus magnam ecclesiam a fenestram [?], factam pro reservaculo. In hoc reservaculum intravit Elisabeth suum infantulum, sanctum Johannem Baptistam, et abscondit, quando servi Herodis discurrerunt per fines illos ad quaerendum et occidendum infantes. Creditur enim, quod etiam in illam domum ascenderunt ad quaerendum infantes. Sed cum viderent duos senes homines, Zachariam et Elisabeth, non suspicabantur apud eos infantem aliquem et citius recesserunt, et puer Johannes mansit. Albertus tamen scribit super Luc. c. 1., Zachariam ibi ab Herodianis occisum, quia noluit prodere puerum, ut infra patebit. In illa capella sunt altaria diruta, et testudines ruinosae, et in parietibus antiquae picturae, et crescunt tam superius quam inferius arbusta et gramina super testudines. Quaedam autem grana blavei coloris ibi crescunt, sicut fabae, quae nullibi, nisi ibi, reperiuntur. Olim fuit ibi pulchra et gratiosa ecclesia, et habitabant juxta eam in cellulis monachi, sed jam, heu! facta est habitatio deserta unius miserrimi Sarraceni.

De loco, in quo Johannes fuit natus in hunc mundum.

Ab hoc loco consequenter descendimus et exeuntes ad fontem praedictum regressi sumus, et de fonte in collem per clivum ascendimus, et cum in sublimi essemus, ad ecclesiam unam magnam venimus, et in ea hymnum ut quantum laxis altis vocibus cantavimus. Est enim ecclesia illa in eo loco instructa, in quo natus est Johannes B. praecursor Domini. Porro proprius (192 A) locus nativitatis praecursoris est ad sinistram partem in chori capella, cujus ostium propter murorum ruinas est obturatum. Per murum ergo ascendimus, et unus peregrinus se alteri subjecit, ut per eum scanderet